

tantum obligare, et ita habent multarum religionum regulæ; est ergo possibilis talis obligatio, de qua re plura dixi in tractatu de Legibus citato.

5. *Potest tertio ad solam pœnam, et non ad culpam obligare.*—Tertio etiam potest dari regula quæ nullam obligationem in conscientia, etiam ad culpam venialem inducat, sed solum ad pœnam obliget; hoc enim multi putant sufficere ad veram rationem legis. Alii solum volunt hanc appellare legem conventionalem. Sed non est in nominibus immorandum; certum est enim posse Prælatum, habentem ecclesiasticam jurisdictionem, ex vi illius, et secluso alio pacto, imponere hanc necessitatem operandi sub reatu talis pœnæ, vel (ut etiam hujus vocis invidia tollatur) sub tali gravamine, non imponendo immediate obligationem ad culpam respectu actus immediate imperati. Probatur, quia hic modus necessitatis non involvit repugnantiam, nec excedit humanam jurisdictionem, quia multo major est necessitas sub obligatione ad culpam; et quia princeps potest non permittere aliquem actum, nisi cum tali onere. Potest ergo hæc necessitas imponi ex vi jurisdictionis humanæ. Illud autem imperium ex hac parte sufficiens est ad rationem legis, quia jam imponit aliquam necessitatem, et excedit rationem consilii, et ideo a multis dicitur lex pure pœnalis.

6. *Semper tamen involvit aliquam obligationem in conscientia.*—Addimus vero necessario involvere aliquam obligationem in conscientia, seu in illam tandem resolvi, quia sine illa, nec vera ratio legis subsisteret, nec vera necessitas moralis induci potest. Declaratur, quia si talis regula imponit pœnam transgressoribus, obligat illos in conscientia, saltem ut patientur pœnam; dat enim jus superiori ad puniendum talem actum, quem punire juste non posset, nisi regula illum sic prohibens posita fuisset; ergo necesse est ut obliget subditum etiam in conscientia ad parendum superiori talem pœnam imponenti, id est, ad non resistendum illi violenter, si pœna consistat in passione, vel ad exequendam illam, si consistat in actione, et strictè præcipiatur. Unde Martinus V supra adjunxit: *Per suos superiores pro eorum excessu et transgressione, ac modo culpe injungi valeat pœnitentia salutaria, quam suscipere, et adimplere teneantur.* Quocirca etiamsi regula non taxet certam pœnam, eo ipso quod regula est, subjicit hoc modo transgressorem justæ

pœnæ, sive immediate, sive mediante aliqua culpa, alioquin non haberet in quo a mero consilio distingueretur, ut significavit Hieronymus, lib. 4 contra Jovinian., dicens: *Quod præcipitur, imperatur; quod imperatur, necesse est fieri; quod si non fiat, pœnam habet; et infra: Ubi consilium datur, offerentis consilium est; ubi præceptum, necessitas est servientis, habetur in cap. Quisquis, 14, quæst. 1.* Ut ergo regula a mero consilio distinguatur, oportet ut necessitatem aliquam, saltem ad pœnam, inducat.

7. *Quo ex tribus dictis modis regula religiosa obliget.*—Cum ergo hi tres modi obligandi possibiles sint in regula religiosa, non possumus in communi statuere quomodo de facto obliget; quia nullus ex dictis modis est simpliciter necessarius ad regulam religiosam ut sic, et in particulari potuerunt institutores religionum eligere unum vel alium modum obligandi. Propter quod graves Doctores difficile putant definire de regula religiosa, quomodo obliget. Verumtamen in communi loquendo (ut dixi), nihil aliud respondere possumus, nisi obligare aliquo ex illis tribus modis, et ad nullum eorum necessario determinari. In quo est advertendum, quod tomo præcedenti, lib. 10, dixi, votum obedientiæ non obligare immediate ad servandam regulam, nisi regula ipsa verbis satis expressis exigat voti obligationem. Et ideo non recte censent, qui putant regulam religiosam ex genere suo obligare ad mortale; quod senserunt Henricus, et alii, ex illo fundamento, quod voti obligatio ex genere suo obligat sub mortali, et obligatio regulæ est obligatio voti. Falsum est autem hoc fundamentum, quia votum non obligat ad servandam regulam, sed ad obediendum secundum regulam; et ideo propria obligatio regulæ, ut sic, non ex voto obedientiæ, sed ex propria ratione legis, et ex principiis ejus colligenda est, et hæc de prima parte tituli.

8. *Assignantur principia ad dignoscendum quæ et qualis sit obligatio regularum.*—Notatio quadruplicis modi ferendi regulam.—Difficultas ergo superest, quomodo in particulari cognoscetur an aliqua regula religiosa obliget ad culpam gravem, vel levem, vel solum ad pœnam. Quod quidem judicabitur facilius ponderando et expendendo verba uniuscujusque regulæ, et considerando communem sensum, et consuetudinem uniuscujusque religionis; et fortasse inferius, tractando de varietate religionum, in 2 tractatu, aliquod de

singulis attingemus. Nunc vero generalia quædam principia vel regulæ proponenda sunt. Quatuor ergo modis potest se habere quoad hanc partem aliqua regula vel institutum religionis. Primo, ut in eo distincte, et (ut aiunt) in actu signato explicetur mentem religionis esse obligare in vi præcepti quantum potest juxta uniuscujusque materiæ capacitatem. Secundo, ut explicet eodem modo obligare ad veniale tantum, et nunquam ad mortale ex vi regulæ, nisi ubi specialibus verbis fuerit major rigor præcepti expresse declaratus. Tertio, ut eodem expresso modo explicetur in regula non obligare in conscientia ad aliquam culpam etiam venialem, sed solum reddere transgressorem reum pœnæ. Quarto, ut nihil horum in regula declaratur, sed absolute feratur ordinando, statuendo, aut præcipiendo quæ agenda sunt.

9. *De primo modo ferendi regulam.*—Ex his modis primus videtur posse accommodari ad regulam S. Francisci; nam (ut dicitur in Clem. *Exivi de Paradiso*) ubicumque in illa regula ponitur nomen *præcipiendi*, aut hoc verbum *teneantur*, aut æquivalens, censetur obligare sub mortali. Verum est tamen in regula ipsa primitiva hoc non explicari sub his formalibus verbis; tamen a Pontificibus ita declaratum est, quia consuetudo ipsius religionis ita etiam regulam declaravit, quod est signum hanc fuisse mentem institutoris, et a principio ita fuisse intellectam. Juxta hanc ergo interpretationem regula illa obligabit ad mortale, ubicumque fuerit constituta per modum præcepti, et materia capax sit. Aliæ vero regulæ, quæ non habent hujusmodi verbum, obligabunt juxta modum infra explicandum circa quartum membrum supra positum, quia quoad eam partem nihil speciale declaratum est. Quocirca in rigore nullam invenio religiosam regulam, in qua universalis obligatio pro tota illa explicata sit illo primo modo supra declarato. Et juxta doctrinam D. Thomæ, dict. Quodlib. 4, art. 20, talis modus regulæ non esset conveniens, alias status religiosus esset religiosus in laqueum peccati mortalis, quod vix aut nunquam posset declinari.

10. *De secundo modo bipartito.*—*Exponitur una pars.*—Secundus modus regulæ suavior est, et ad tollenda pericula cautior, et ad invitandum ad perfectionem sufficiens. Duas autem continet partes. Una est negativa, scilicet non obligare ad mortale, et hæc est frequens in multis regulis, ut supra citatum est de regula S. Hieronymi, ex Martino V, et de aliis

infra in tertio modo dicitur. Solum adverte, aliquando poni illam declarationem sine ulla exceptione, ut in dicto Brevi Martini V. Nihilominus tamen subintelligenda necessario est exceptio aliqua. Prima, *nisi regula aliqua contineat materiam voti*, ut est, verbi gratia, quæ prohibet habere proprium, quæ, licet ex vi regulæ non obliget sub mortali, obligat tamen ex vi voti. Secunda, *nisi aliqua regula in particulari expresse declaret talem obligationem*, nam, ut habet regula 34 juris, in 6, generi per speciem derogatur. Oportet tamen ut verba legis non possint aliter explicari; quando enim illa generalis declaratio est in regula, non sufficiunt simplicia verba quantumvis præceptiva, ut, *teneantur, præcipimus*, etc., ad inducendam dictam obligationem, quia propter hæc et similia verba ponitur illa declaratio, alias nullum fere haberet effectum; necesse est ergo ut addatur aliud speciale signum indicans intentionem legislatoris esse obligare sub culpa gravi, non obstante dicta generali declaratione. Hoc autem signum juxta communem usum duplex est. Unum, quando additur, *in virtute obedientiæ*; nam tunc expresse significatur actum illum constitui intra propriam et rigorosam materiam voti obedientiæ, seu exigi a religioso proprium obedientiæ debitum, quod ex genere suo obligat sub mortali. Alterum signum est, quando additur pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrendæ, quia talis censura non incurritur nisi pro peccato mortali. Dixi autem *ipso facto incurrendæ*, quia, si solum esset inferenda, licet alias sint opiniones, an hoc sit signum obligationis ad mortale, quas late examinavimus, lib. 4 de Legib., cap. 18, a num. 16, in præsentem casum non debet censeri sufficiens; nam, cum supponatur generalis declaratio, quod regula non obligat ad mortale, ut in particulari oppositum fiat, necesse est addi signum certissimum, et omni exceptione majus; illud autem non est hujusmodi, quia comminatio excommunicationis ferendæ, et sæpe sistit in sola comminatione, et referri potest ad ipsos Prælatos, ut ipsi cogant per excommunicationem ad regulam servandam; et tunc non erit obligatio ad mortale, donec Prælati ponat præceptum ab homine sub illa rigorosa obligatione.

11. *Exponitur altera pars ejusdem secundi modi.*—Circa aliam partem affirmativam de obligatione ad veniale, advertendum est dupliciter contineri posse in regula: primo explicite, quia, scilicet, utraque pars expresse

declaratur; et tunc res est clara quantum ad generalem intentionem instituentis, licet dubitari possit an extendatur ad omnes et singulas regulas, in quo ipsa verba talis declarationis præcipue consideranda sunt; et deinde materia aut modus regularum; nam, ut significat D. Thomas, dict. Quodlib., et infra, in cap. sequenti, explicabimus, in regula nonnulla misceri solent, quæ sunt pura consilia, in quæ nulla obligatio in conscientia cadit etiam ad veniale; quod locum habet, non obstante prædicta generali declaratione, quia illa intelligitur fieri juxta materiam proportionatam; hujusmodi autem est quicquid in regula habetur per modum præcepti, vel statuti, aut ordinationis, non vero id quod solum ponitur per modum consilii; quia illa declaratio non fit ad ponendam obligationem, ubi ex vi verborum non postulatur, sed ad limitandam illam, ubi ex modo regulæ postulatur. Tunc ergo in tali materia, quantumcumque gravis sit, obligatio est sub veniali; erit tamen major in graviori materia, semper tamen intra illam latitudinem. Alio modo potest illa pars contineri in regula solum tacite, seu præsumptivè, quia scilicet, solum obligatio ad mortale negatur, de altera vero tacetur, ut fit in dicta declaratione Martini V; nam per hoc admitti seu relinqui videtur, juxta cap. *Nonne*, de Præsumptionibus, quæ præsumptio erit evidentior, si in regula ipsa expresse supponatur in generali *obligatio in conscientia*; nam cum hæc duplex tantum sit, exclusæ una, tantum relinquitur altera. Si autem illa generalis declaratio non habetur, res est magis dubia, quia datur tertium membrum, quo possit regula obligare, ut supra diximus. Nihilominus, quia illa duo membra incompatibilia non sunt, imo valde germana, scilicet obligare ad culpam venialem, et ad aliquam pœnam, ideo qui præcise excludit obligationem ad culpam mortalem, videtur plane totam aliam obligationem, quæ ex vi legis inferri potest, admittit; quod probabilius fiet ex his quæ in quarto puncto dicemus.

12. *De tertio modo.* — Hinc ergo ortus est tertius modus ferendi, et expresse declarandi regulam, ut neque ad veniale, neque ad mortale peccatum obliget; ita fit in religione Prædicatorum, ut refert D. Thomas, 2. 2. q. 186, art. 9, ad 1, et significat suo tempore fuisse hoc singulare in illa religione; nam cum de aliis religionibus dixisset, regulam obligare saltem ad venialem culpam (quod infra declarabimus) subdit: *In aliqua*

*tamen religione, scilicet ordinis fratrum Prædicatorum, transgressio talis vel omissio, ex suo genere, non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam.* Ubi Cajetanus addit, hanc declarationem non fuisse in illo ordine a principio ejus, sed factam esse in secundo capitulo generali anno 1237. Non exponit autem an declaratio illa cadat etiam in regulam D. Augustini, quatenus eam dicta religio profitetur, vel solum in proprias constitutiones ejusdem religionis. Nam si vera est differentia inter regulam et constitutiones, quam supra, cap. 1, n. 5, ex Antonino et aliis refuli, non potuit illa religio regulæ obligationem moderari, sed solum suarum constitutionum; et hoc videntur sonare verba quæ Cajetanus refert: *Notamus quod statuta nostra obligent ad culpam, sed solum ad pœnam.* Verius tamen existimo declarationem illam extendi etiam ad ipsam regulam. Nam D. Thomas de ipsa regula loquitur, et ratio eadem est in illa; et probabilius existimo esse in tota religione potestatem ad hanc declarationem seu moderationem faciendam, etiam in regula, ut supra dixi.

13. *Ex obligatione directa ad solam pœnam resultat per consequentiam obligatio aliqua in conscientia.* — Notanda sunt etiam illa verba, *sed solum ad pœnam taxatam sustinendam.* Circa quæ Cajetanus dubitat an hæc sit obligatio in conscientia, necne; et negative respondet, quia declaratio regulæ excludens ab illa obligationem in conscientia universalis est; ergo nec circa sustinendam pœnam, illam relinquit. In quo videtur contrarius his quæ supra, num. 6, diximus; sed non est; quia loquitur præcise, et ex vi regulæ, et de directa obligatione ejus; nos autem locuti sumus de obligatione consequente ex natura rei, vel ex præcepto superioris. Itaque si regula imponat pœnam ipso facto a subdito exequendam, et non infligatur a Prælate (id enim facere potest et solet, ut ibidem Cajetanus refert), non magis obligat in conscientia ad exequendam pœnam, quam ad non committendam transgressionem; quia declaratio universalis est, ut recte Cajetanus argumentatur; si autem pœna per Prælatum imponenda est, vel consistit in actione exequenda ab ipsomet subdito ad præceptum Prælati, et tunc juxta modum præcepti erit modus obligationis; unde, si præceptum fuerit rigore positum, erit quidem obligatio ex vi præcepti, non ex vi solius regulæ. Vel pœna solum passive sustinenda est a subdito, et tunc non habet locum directa obligatio in

conscientia, quia hæc non est ad patiendum, sed ad agendum, quamvis intelligi possit obligatio ad non resistendum violenter, ad quod videtur teneri subditus ex vi subjectionis et obedientiæ. Dices: nulla ergo obligatio oritur ex hac lege pœnali, nam tota hæc oritur ex vi obedientiæ debitæ Prælate. Respondetur: regula tunc facit ut illa pœnalitas per modum supplicii et vindicationis sit materia obedientiæ juste impositæ; nam sine tali causa non posset Prælati juste vel rigore præcipere talem actionem, vel cogere ad talem passionem. Et ita obligatio in conscientia, quæ ibi intervenire potest, radicaliter fundatur in regula, et in declaratione ejus, prout a D. Thoma etiam insinuat; dicit enim regulam non obligare ad culpam, sed ad pœnam; loquitur enim de obligatione in conscientia; sentit ergo in ordine ad pœnam oriri aliquam obligationem in conscientia, quæ non videtur posse esse alia, nisi quæ a nobis explicata est.

14. *Hic tertius modus ferendi regulam distincte habetur in Societate.* — Et juxta hæc (ut Cajetanus etiam dixit) intelligenda est omnis alia regula, quæ similem habuerit declarationem, qualem habet nostra Societas distinctissimam, et tollentem omnem dubitationem, 6 part. suarum Constit., cap. 5, ubi dicitur, universas constitutiones, declarationes, aut ordinationes, exceptis tantum Societatis votis, non inducere obligationem ad peccatum mortale vel veniale, nisi addantur expressa signa hujus obligationis, ubi ponuntur hæc duo, *in nomine Domini nostri Jesu Christi, vel in virtute obedientiæ*, tanquam specialia religionis. Supponitur autem aliud signum de pœna excommunicationis, ut generale ex vi juris communis, quo interdum etiam utuntur constitutiones Societatis, ut infra videbimus. Est autem peculiare in illa declaratione, ut nulla mentio in ea fiat obligationis ad pœnam, et in tota regula Societatis hoc specialiter observari potest, ut rarissime pœna aliqua taxetur, neque illius comminatio fiat, sed simpliciter, quæ agenda sunt, statuuntur. Quod non ideo fit, quia ex regulis ipsis non sequatur obligatio ad aliquam pœnam; hoc enim, ut diximus, et ex natura rei sequitur, et ad disciplinam religiosam necessarium est, quæ in Societate exacte retinetur, appositis per superiores pœnitentiis pro levissimis etiam contra regulam transgressionibus; sed voluit nobis significare S. P. N. Ignatius, primo, alumnos suos amore potius quam timore regendos esse; unde in

citato loco concludit: *Et loco timoris offensæ succedat amor, et desiderium omnis perfectionis, et ut major gloria et laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur.* Deinde voluit ut, quando contigerit aliquem in regulæ observatione deficere, non solum patienter sustineatur pœna, sed etiam voluntarie ac studiose procuretur; et ideo part. 3 Constit., cap. 1, § 28, et in Summ. const., § 51: *Aliquoties (inquit) singulis annis, omnes a superiore sibi pœnitentiis injungi propter defectum observationis regularum putant, ut hæc cura indicium sit illius, quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habet.*

## CAPUT III.

QUOMODO DIGNOSCATUR REGULAM OBLIGARE,  
QUANDO ID NON EXPRIMIT.

1. *Arguitur hunc quartum modum semper importare gravem obligationem.* — Quartus modus ferendi regulam religiosam propositus præcedenti cap., n. 8, atque in præsentia separatim tractandus, quia uberiorem doctrinam continet, usitatus fuit ab antiquis Patribus; simpliciter enim regulam constituiebant, et modum obligationis ejus non declarabant; et ideo difficile est judicare quæ obligatio ex tali regula nascatur in profitentibus illam, non ratione voti adjuncti (de hoc enim jam supra dictum est), sed ratione sui, quatenus est quædam lex talis communitatis, quam servare tenentur qui efficiuntur membra ejus. Et est ratio dubii, quia regula est vera lex, ut supra dixi, et utitur propriis verbis præceptivis; ergo obligat cum omni rigore legis, id est, ad peccatum etiam mortale, quando materia est capax. Consequentia probatur ex declaratione Pontificis in dicta Clemen. *Eavit*, ubi, ex eo quod S. Franciscus, in sua regula, ad quædam apponit verbum *præcepti*, vel æquipollentis, colligit obligationem ejus sub culpa gravi. Minor autem patet ex regula Augustini, in cuius initio ponit: *Hæc sunt, quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti*; et in fine ait: *Ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino; ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doceat de præterito, caveat de futuro, orans ut debitum dimittatur*, in quibus verbis significat hunc defectum in regula non esse absque culpa coram Deo. Et S. Benedictus in Prologo suæ regulæ sic incipit: *Ausculta, o fili, præcepta magistri*, etc.; et de illa sic scribit Bernar-